

A 231
4

Hist.

III. C. 3.

ae
 RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO PRINCIPE
 AC
DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
 DUCE AC PRINCIPE HEREDITARIO MECKLENBURGICO,
 PRINCIPE VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SVERINI, AC RÆCEBVRGI,
 COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
 ET STARGARDIÆ DOMINO,
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.

AD
 FESTOS DIES PENTECOSTALES
 PIE AGENDOS
 EXHORTATUS,
 DE
 IMPOSITIONE MANUUM
DONA SPIRITUS S.
 PER SE NON CONFERENTE
 PAUCA PRÆMITTIT
 PRORECTOR HODIERNUS
JOANNES NICOLAUS PELE,
 J. U. D. COD. DUC. PROF. PUBL. ORDIN.
 ET CONSIST. DUC. CONSILIARIUS.

ROSTOCHII,
 TYPIS IO. IAC. ADLERİ, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,
 & ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



Beneficio Summi Numinis , sine quo nihil et humana-
rum rerum geritur et divinarum , Cives Academiac
Optimi , ad ea reservati sumus tempora , quæ non so-
lum colligendis sed percipiendis etiam fructibus adscensionis
Christi , tam sunt accommodata , quam quæ esse possunt ac-
commodatissima . Partium igitur Pro - Rectoris , hinc et mea-
rum , quæ eadem mihi sunt impositæ , sine dubio erit , Vos
omnes ac singulos , quoad ejus fieri potest , adhortari , ut ra-
tione hujus temporis habita , quæstus inde uberrimos faciatis .
Sed ne quis Vestrum veterem consuetudinem , pristinumque
morem , locum quandam Theologicum , licet non pluribus
persequendi , leviter perstringendi tamen , penitus requirat ;
in mentem mihi venit , de impositione manuum , quæ Aposto-
lica ætate in usu quoque fuit , dona Spiritus Sancti per se non
conferente , pauca quædam in medium proferre . Nec a nostris
temporibus hoc meum propositum esse alienum videtur ; pro-
pterea quod manus illis sunt impositæ , in quos dona Spiritus
S. miraculosa sunt effusa , ut ex Actis Apostolorum cap . VI . 6.
VIII . 17. XIII . 3. XIX . 6. unicuique apparet ; nec minus hæc
materies tertio Pentecostes die , auditorum auribus solet pro-
poni . Prius vero quam rem ipsam aggrediamur , non minus
legere , quam audire meminimus , impositionem manuum ab
antiqua Ecclesia Judaica ad nos translatam esse , eique suos de-
bere natales . Medebimur ergo lectorum , ut videtur , satietati ,
si summam duntaxat hujus ab Hebrais traditi moris attinga-
mus . Placet vero ex his fontibus primo haurire , quos Vetus
nobis Testamentum aperit , quo facilius ad id , quod volumus ,
perveniamus . Moribundum quidem legimus Genes . XLVIII .
14 Jacobum porretas manus filii imposuisse suis , huncque
ritum in benedictione adhibuisse . Nec minus Leviticus ipsam
passim ceremoniam ostendit , quam sacerdotes in victimis con-
secrandis observare jussi sunt , ut ex capitibus I. IV. et XVI.

lucide intelligitur. Omittimus morem, quem in Levitis inaugu-
gurandis Num. VIII. 10, secuti sunt, eundem, et qui Num.
XXVII. a Mose in Josua est repetitus. Tacemus, quod hinc
idem in ecclesia judaica servatus fuerit, quem סְכִינָה יְדֵיכֶם
nominant. Novum Testamentum si consulimus, passim im-
positionis manuum expressa exstant vestigia, quæ quidem in-
venire nobis haud molestum erit. Offendimus enim Matth.
XIX. 15, salvatorem nostrum imponendo manus parvulis bene-
dixisse, ægrotam mulierem Luc. XIII. 13. sanasse, atque de
Apostolis credentibus Marc. XVI. 18, idem scriptum reliquissime.
Itaque gradum facimus ad Apostolos, qui manus baptisatis eum
sapienter in finem imposuerunt, ut iis potestatem miracula edendi
contulerint. Inprimis hic lectores nostros ad quatuor, quæ
supra commemoravimus, loca ex Actis Apostolorum remitti-
mus, in quibus de χειροθεσίᾳ ejusque miranda specie pluribus
agitur. Mox enim de Protomartyre Stephano, officio paupe-
ribus necessaria vita subsidia distribuendi prefecto, χειροθεσίᾳ
reperitur. Mox Samaritanis iste ritus ad Spiritum S. commu-
nicandum applicatur. Mox denique Prophetas donis Spiritus
S. instructos, prædicantesque evangelium præmissa impositione
manuum, ad opus, cui a D E O destinati erant, perficiendum
dimisso esse deprehendimus. Hanc vero manuum impositio-
nem ceu consuetudinem Hebræorum in primitiva Ecclesia A-
postoli licet imitati sint, effusionem tamen Spiritus S. non alii-
ter ac digitorum contrectatione fieri potuisse, et vi sua ab hoc
ritu dependisse, nos nobis minime persuademus. Quod si enim
manuum impositio tantam vim habuisset, ut ea prætermissa
Spiritus S. dona plane nulla, admissa vero, omnia abundantius
suppedarentur; mirum foret, in Sacris pagnis hac de re cau-
tum nihil fuisse. Quoniam ergo in primis, cum dies Penteco-
stis impletus esset, atque Apostoli cum aliis se unanimiter in
eundem locum congregassent, ne littera quidem de impositione
manuum litteris consignata est, ut ex Act. II. videre licet; ni-
hil omnino causa est, cur manuum impositionem necessariam
fuisse stetuanus: quod sane et exempla Cornelii Centurionis
aliorumque ostendere videntur, quos auditis Petri vocibus, Act.
X.

X, prius baptismate flaminis sine *χειροθεσίᾳ* quam fluminis bap-
tisatos esse animadvertisimus. Neque enim manus DEI quæ
omnia possunt, tam infirmæ fuerunt, ut non sine impositione
manus idem efficere potuissent, nec quisquam est qui credat,
hominum manibus divinam dexteritatem natura esse insitam,
ut hujus beneficio libere supernaturalia edere possent. Equi-
dem hoc errore olim Simon ille Magus vehementer ductus esse
videtur, qui cum per *χειροθεσίαν* Apostolorum dari Spiritum S.
animadvertisset, nihil prius antiquiusque habuit, quam ut hu-
jus potestatis particeps fieret, eoque processit audacie, ut Apo-
stolis offerret pecunias, his verbis usus: Date mihi potestatem
istam, ut euicunque imposuero manus accipiat Spiritum S.
Quoniam vero, donum DEI pecunii mediante impositione
manuum comparari existimavit, gravissima hac: pecunia tecum
sit in perditionem, formula Petrus eum est allocutus. Ritus ille
χειροθεσίας in Ecclesia et hodie nostra non infimum obtinet lo-
cum, licet non aliquid opis divinæ per se in eo esse statuamus.
In ordinatione enim ministrorum Ecclesiæ, qui legitime vo-
cati sunt, receptus est, ab apostolis acceptus. Et multæ sub-
sunt causæ, quæ ad defendendam hanc cærimoniam non sine
ratione allegantur. Sed licet utilè nec reprehendendam esse
hanc manum impositionem defendamus; id tamen non aga-
mus oportet, ut hunc morem necessario introductum mordi-
cūs defendamus, nec sine illo ministrum ecclesiæ dari somnie-
mus; tantum abest ut donis miracula perpetrandi hodiernos
sacerdotes affe*ctum* iri in animum inducamus. Nam neque in
sacro codice de isto ritu singulatim nobis est præceptum, neque
ad ministrum ecclesiæ necessario requiritur, ut ordinationem
quasi induat, sed quia tot et tanta exinde in communem usum re-
dundant commoda et tempore necessitatib*e.g.* pestis, belli &c*et*.
ejus copia fieri nequit, non inutilis eademque indifferens habe-
tur. Nihil itaque afferunt Pontifici quorum tot sunt somnia
quot capita, fingentes sine impositione manuum ad ecclesiastici-
cum manus accedere posse neminem, donaque ad ministerium
necessaria ex opere operato conferri, ac vocato, characterem
quendam indeleibilem imprimi. Quo fit, ut ordinationem ad

Septem eorum sacramenta referant. Fac ordinationem in Sacra-
mentis numerari quod tamen nunquam concedimus, quomodo
ab ordinatione sacramento, ad collationem Spiritus S. miracu-
losorum concludere liceret donorum. Quis unquam de Sacra-
mento utriusque et V. et N. Testamentis proprio audivit, quod
tamen de ordinatione in hoc sensu insitiandum esset. Quis un-
quam sacramentum ad certum ordinem Christianorum tradu-
ctum affirmaret, nisi de lana caprina idem loqui censendus es-
set? Quis sacramento vim applicandi et obsignandi remissio-
nem peccatorum atque aeternam salutem denegaret? Itaque
cum ordinatio partem hominum, qui magistratu ecclesiastico
funguntur, tantummodo attingat, nec salutis pignora exhibeat,
exhibita confirmet, nomine sacramenti ordinationem nullo
modo posse insigniri, quis est, qui neget. Impositionem ma-
nuum quod attinet, ea fuit per vulgata via S. Patriarcharum,
Prophetarum, Christi, et postea Apostolorum quam suo ipso-
rum arbitrio ingressi sunt, cuius effectus non *χειροθετία* per se
sed precibus sunt produceti, quæ quia merito Christi niteban-
tur, in eo quoque Ja et Amen fuerunt. Sed licet hæc imposi-
tio manuum, non sua natura horum effectuum causa nomi-
nanda sit; non tamen hæc exinde necessario fuit deinceps tol-
lenda. Stricte quidem si sumitur indifferens est et propterea
intermittendi eam nobis potestas esset; sed quia et in offendio-
nem rudiorum et in damna igitur ecclesiaz cederet, ad rerum
necessariarum rationem propius quodammodo si ita dicere
licet accedit. Accedit quod multitudinem exemplorum
in hoc ritu persequendo ante oculos potest ponere anti-
quitas, quidni ex aliis caperemus, quod nobis ex usu sit. Ve-
nimus ad Confirmationem, quæ ex primitiva ecclesia in nostra
remanxit. Quondam sacro lavacro intineti, mediante impositione
manuum miraculosa dona Spiritus S. consequebantur, et Spir-
itus S. omnibus inspectantibus in baptisatos prolapsus est. Cum
vero vera doctrina non solum proponeretur, sed non exiguis
fere finibus definiretur, ea collatio donorum supernaturalium
cessavit, nihilominus tamen *χειροθετία* non sublata est. Aetate
vero ubi baptisati longius proiecti cogitationem sobrii hominis
suscepissent praesentes episcopo ad doctrinam fidei profitendam,
cui

cui fidem datam haud fallere juramento se obstrinxerunt delati sunt. *Xeipoleia* denique adultos post factam fidei professionem confirmavit, omnemque actum, conceptis votis ut ad extremum vitae halitum ordinem salutis, vera fide in Christum in operibus bonis efficaci accurate observarent, absolvit Non vero alia inductus hic actus causa, ac^quæ rationem cum Christi exemplo, qui parvulos, manus imponendi iisque benedicendi causa ad se adduci jussit, haberet. Sed, quemadmodum Poeta canit, homines in vetitum nituntur, sic apud Pontificios oleum tanquam visibi^e signum Scripturæ S. licet fundamento destitutum in fronte illeverunt; episcopo hanc formulam pronuntiante: Signo Te signo crucis et confirmo christmate salutis: quæ quidem in Cultum DEI electitum, stoliditatisque documentum cesserunt. Pervenimus ad Absolutionem, quæ plerumque impositis manibus, ab illo qui est a confessionibus administratur. Quid de externa hac consuetudine sit judicandum, palam jam ex evolutis rationibus est factum idcirco, quod sua inde nihil miraculi plenum ex illa elicere valebitus. Ex quo elucet eam ad absolutionem neque esse per se necessariam, neque spiritualia, confitenti peccata, ex se largiri. Interim tamen hæc impositio manuum ad scandalum vitandum jure meritoque a ministris est ecclesiæ retinenda, præsertim cum sibi religioni habere debeant, si hominum infans ingenium, omissa hac impositione, de veritate religionis Christianæ et præceptorum fidei dubitare, vel desperare possit. Quantum igitur abest, ut *Xeipoleia* propter se Spiritum S. contulerit, tantum aberit, ut eastra Weigelianorum sequamur, qui non in festo Pentecostis vaticinium Ioeлиs impletum de effusione Spiritus S. arbitrantur, sed adhuc quotidie implendum esse censem. Persuasi sumus, quod est DEI gratia, nos in sacro baptismo Spiritus S. dominis esse perfusos, et si ex statu gratiæ decidimus, hisque perditis muniberibus, inimicitias DEI suscepimus, Spiritum S. non curam nostræ conversionis abjecere, sed gratia sua præveniente, præparante, operante, cooperante, postremo conservante, nos exornaturum esse, ut tandem aliquando dicitiarum generibus domus non manibus compactæ circumfluamus.

Itaque

Itaque cum talibus promissis gaudemus, et tempus quo
præsens est ea larga tamquam manu explere possum, agite Ci-
ves Academiæ Optimi, obatis omnibus omissis Vestrum mu-
nus, tempori prudenter inservientes. Concurratur a Vobis
frequentibus ad templum, ut crescatis in templum sanctum in
Domino, in quo et Vos coædificamini in habitaculum DEI per
Spiritum Eph. II. 22. Offeratis more Judæorum hoc festo Pen-
tecostes, primitias Eucharisticas pro nostro Immanuele Iesu
Christo ad dextram Patris sui elato, cui omnia quæ nunc Spi-
ritus applicat beneficia propter satisfactionem præstata refe-
rimus accepta; secundum DEI voluntatem per verbum veritatis
sic progeniti ut sitis primitiæ quædam suarum creaturarum h.
e. populus a DEO selectus, et per Evangelium DEI consecra-
tus Jac. I. 18. Si Vobis deest benedictio aut Spiritus sapien-
tiæ intelligentiæ, consilii et timoris DEI, frequentetis locum
ubi timor DEI habitat, illiusque memoria est infixa; ibi præ-
sto est futurus, et ad Vobis benedicendum, omniisque perfectiorum
abundantia donorum Vos exornandos; ibi manus Altissimi
nimurum ejus potentia quacunque salute Vos instruet. Si spi-
rituali sacerdotio non digne satis præfueritis, potestis denuo
præparari atque inaugurarri, ut Vestra corpora tanquam hostiam
viventem, sanctam, Deoque acceptam præbeatis rationabilem
vestrum cultum. Rom. XII. Credatis igitur in Spiritum S., qui
est arrhabo haereditatis Vestra, et per quem tandem
obsignabimini in diem redemtionis,
Eph. IV. 30.

P. P.

SUB SIGILLO ACADEMIÆ
FER. I. PENTECOSTES A. O. R. MDCCCLII.



99 4 6988



ursprüngl. Stk. 1 nicht gezählt, da
Tafel nicht zu ermitteln

1317
V078

Retr. ✓

B.I.G.

26

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

DEM. MAGNIFICENTISSIMO,
SIMO PRINCIPE
AC
OMINO,
FRIDERICO,
HEREDITARIO MECKLENBURGICO,
NTIS HENETÆ, SVERINI, AC RACEBVRGI,
TRINENSI, TERRAVM ROSTOCHII
ARGARDIÆ DOMINO,
OLONGE CLEMENTISSIMO.

AD
ESPENTECOSTALES
IE AGENDOS
ORTATURUS,
DE
TIONE MANUUM
SPIRITUS S.
N CONFERENCE
CA PRÆMITTIT
TOR HODIERNUS
NICOLAUS PELE,
DUC. PROF. PUBL. ORDIN.
T. DUC. CONSILIARIUS.
OSTOCHII,
ERI, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,
ADEMIAE TYPOGRAPHI.